

teria, canonicatus, hospitalia, leprosoria ingenti numero piorum eleemosynis certatim et passim erecta? Viget in eadem frequens et pius sacramentorum usus, verbi Dei auditus, aliaque christianæ pietatis exercitia, quæ si cum ethnicorum, Judæorum et hæreticorum studiis comparentur, profecto cælum novum et terra nova vocabuntur. Sed non vident illi, nec credunt hæc nostra sacra et virtutum exercitia, ideoque in suis tenebris oberrant. Nos ergo qui in hoc cælorum regno, quod simile est grano sinapis, sumus, Deum glorificemus operamque demus, ut hujus grani virtutes et incrementa in nobis elucescant. Amen.

CONCIO III.

REGNUM CHRISTI QUANTUM ALIA REGNA SUPERET.

I. Superat amplitudine. — II. Ætate. — III. Robore. — IV. Incremento miro. — V. Legum æquitate. — VI. Fructibus. — VII. Regis eminentia.

THEMA.

Cum autem creverit, majus est omnibus oleribus et fit arbor. Matth. XIII.

Hodiernum evangelium pulchre correspondet prophetiæ Danielis, cap. II. Vidit ibi Nabuchodonosor in somnio statuam prægrandem, ejus caput erat aureum, pectus et brachia argentea, venter et femora ærea, tibiæ pedum ferreæ. Et ecce lapis de monte sine manibus abscissus percussit statuam in pedibus et comminuit eos unaque statuam totam: lapis vero ille factus est mons magnus et implevit universam terram. Hoc somnium explicuit regi Daniel, asserens, quatuor illas statuæ partes designare quatuor monarchias seu regna totius orbis florentissima; caput aureum regnum Nabuchodonosoris seu Babyloniorum, quod esset felicissimum, famosissimum; pectus argenteum regnum Persarum illi succedens, quia erat ditissimum; ventrem æreum, regnum Græcorum, quod sapientissimum; tibiæ ferreas regnum Romanorum, quod fortissimum. Lapis abscissus sine manibus, Christum denotabat conceptum absque viri opera. Is regna illa contrivit, quia orbem totum ad se traxit, et per evangelium suum immutavit: unde factus est mons magnus et replevit totam terram, quia regnum Christi, initio angustissimum, factum est omnium maximum, et dilatavit se in orbem universum, estque regnum æternum et omnium felicissimum. Jam hoc ipsum est, quod describitur in evangelio hodierno per

granum sinapis et fermentum. Superest nunc, ut ostendamus, qua ratione regnum Christi seu christianismus superest omnia regna terrena.

I. Arbor regni Christi superat arbores regnorum aliorum amplitudine, quia omnes mundi plagas, etiam prius incognitas, Indos, Sinas, Japones, etc. sibi subjecit, aut si quæ adhuc supersunt, sibi subjiciet. Hoc significat Daniel, cum ait lapidem illum factum esse montem et replevisse universam terram. Cætera orbis regna singula non nisi partem aliquam orbis continebant, quæ si in globo terrestri vel mappa inspicatur, exigua et pene nulla apparet. De Judæorum regno ait David, Ps. LXXIX. *Extendit palmites suos usque ad mare* (scilicet Mediterraneum) *et usque ad flumen* (Euphraten) *propagines ejus*. Sed quantula est hæc orbis pars? Longe aliter de Ecclesiæ regno scribit, Psalm. LXXI. *Dominabitur a mari usque ad mare, et a flumine usque ad terminos orbis terrarum*: et Psalmo II. ubi omnes reges ei subditos fore asserit: *Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam et possessionem tuam terminos terræ*. Romanorum regnum quidem amplissimum fuit, sed ultra Danubium se non porrexit, multo minus ad orbem novum. Audi Tertullianum adversus Judæos, capite VII. scribentem: « Romani, inquit, tot legionibus suum imperium muniunt, nec trans istas gentes (Britannos, Mauros et Getulos intelligit) porrigere vires regni sui possunt. Salomon regnavit, sed in finibus Judææ tantum, a Dan usque Bersabec. Babylonii et Parthis Darius, non ultra: Ægyptiis Pharaos, sed illis tantum: Nabuchodonosor ab India usque ad Æthiopiæ hahuit regni sui terminum: Alexander Macedo nunquam Asiam universam, et cæteras regiones postquam devicerat tenuit. Sic Germani, Britanni, Mauri, Romani, imperii sui habent terminos, Christi autem regnum et nomen ubique porrigitur, ubique creditur ab omnibus gentibus supra numeratis colitur, ubique regnat, ubique adoratur. » Hæc ille. S. Leo, serm. I. de nat. Petri et Pauli, asserit Romam latius præsedisse religione divina, quam dominatione terrena. Prænuntiatum hoc fuit in die pentecostes, ubi ad primam fidei promulgationem adfuerunt omnis generis et linguæ nationes, Parthi, Medi, Elamitæ, Mesopotamii, Judæi, Cappadoces; Ponti et Asiæ, Phrygiæ, Pamphylæ, Ægypti, Lybiæ incolæ; Romani, Arabes, Cretes, Act. II. Qui tunc quodammodo fuerunt legati totius orbis.

II. Annositate, quia cætera omnia regna et partium durarunt et de facto velut arbusta evulsa sunt et perierunt, ac si quæ recentius exorta sunt, evelluntur similiter: regnum autem Christi

stetit jam 1800. annos, et stabit in æternum. Sic enim prædixit Gabriel angelus: *Dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus et regnabit in domo Jacob in æternum*, (ei ne putes hoc per exaggregationem dictum, addit) *et regni ejus non erit finis*, Luc. I. Idem omnino prædixit Isaias, cap. IX. *Multiplicabitur ejus imperium, inquit, et pacis non erit finis: super solium David et super regnum ejus sedebit, ut confirmet illud et corroboret in judicio et justitia, amodo et usque in æternum*. Hoc idem est, quod de suo regno Christus ipse dixit: *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam*. Maxima orbis regna fuerunt, regnum Babylonis, Persarum, Græcorum, Romanorum; sed primum Babylonis cepit a Nabuchodonosore, finitum est in Balthasare, eversum a Cyro, stetit annos tantum 70. Secunda Persarum monarchia cepit a Cyro, desiit in Dario, eversa ab Alexandro Magno, stetit annos solum ducentos. Tertio Græcorum cepit ab Alexandro, inde mox divisa est in regna Ægypti, Syriæ et Macedonia, stetit in Ægypto usque ad Augustum Cæsarem, qui Cleopatram cum Antonio ad spontaneam mortem adegit, regnumque Ægypti evertit; stetit autem annos 288. Quarta Romanorum quæ cepit a Julio Cæsare et Augusto, adhuc durat, sed quam divisa et debilitata? Ea demum evertetur ab antichristo. Denique, Salomonis seu Hebræorum regnum non nisi per annos 400. stetit. Solum Christi regnum adhuc stat et stabit semper; ac licet aliqua ex parte exarescant ejus rami, alia tamen ex parte succrescunt multo plures. Conati quidem sunt quam plurimi totis viribus evellere hanc arborem, tyranni primum et imperatores potentissimi, deinde hæresiarchæ callidissimi; sed incassum laborarunt, ipsi crepuerunt, Ecclesia salva perstitit, medios inter hostes, sive tyrannos, ut per annos primos 300. sive reges hæreticos, ut circa annum Domini 476. cum Odoacer Arianus tenebat Italiam, Gensericus item Arianus Africam, Visigothus etiam Arianus magnam Hispaniæ et Galliæ partem, Zeno imperator Eutychianus orientem. Quis non existimasset tunc Ecclesiam exterminandam, si humanas tantum vires pensamus? Nostri temporis hæretici, quanto nisu et impetu tam armorum quam argumentorum conabantur evellere hanc arborem? Sed crepuerunt omnes: Ecclesia stat immota, ut merito possit canere: *Sæpe expugnaverunt me a juventute mea, etenim non potuerunt mihi*, Psalm. CXXXVIII. In quem locum S. August. ait: « Numquid ideo non pervenit ad senectutem, quia non cessaverunt illi expugnando? Consoletur igitur se Ecclesia de præteritis exemplis et dicat: *Et enim non potuerunt mihi.* »

III. Robore et efficacia, quia alia imperia in corpora tantum dominantur et actiones externas, in animam vero et internas ejus operationes vim et jus non habent, ideoque prohibere nequeunt peccata interna, nec præcipere virtutum opera, quæ in corde resident. Hinc compescere quidem mores hominum externos possunt, sed homines facere bonos nequeunt. At imperium Christi non solum corporibus in resurrectione; sed et mentibus hominum intime dominatur, easque trahere ad virtutem potest, adeoque ex obduratis, superbis, obscænis, rebellibus, facit molles, castos, obsequentes. Ecce enim qualem agnum ex quam atroci lupo fecit, cum ex Saulo Paulum fecit? Cum Matthæum, Zachæum, Magdalenam, Mariam Ægyptiacam, Pelagiam, etc. de perversis moribus ad sanctissimam vitam traduxit, et amare fecit, quod prius extreme oderant, odisse quod prius amarant? Cum ipsos sæpe persecutores, præsidēs et carnifices repente immutavit, et ex tortoribus Christianorum, confessores Christi fecit? Cum etiam histriones sacra Christianorum irridentes et scenice repræsentantes in ipso actu, afflavit et serio Christianos imo et martyres fecit, uti Genesium, Ardalionem, Porphyrium, Dioscorum?

Ad hæc reges alii corpus tantum occidere et peritura bona tollere possunt; Christus etiam animam perdere in gehennam et adimere æterna bona potest. Unde ei dicitur Psalm. II. *Reges eos in virga ferrea*; quæ scilicet gladii instar penetrat per carnem usque ad animam. Regum aliorum sceptrum sunt instar virgæ lignæ, quæ facile flectitur, et frangitur, solamque carnem vulnerat.

IV. Incremento, primo, quia non armorum, opum, fraudum ac stratagematum præsidio ad tantam amplitudinem venit, uti regna alia; sed per crucem et contemptum honorum, opum, voluptatum, per doctrinæ novæ, difficilis et minime blandientis disseminationem, imo et per martyria et sanguinem multorum millium, quo quanto magis rigabatur, tanto magis dilatabatur arbor. Unde Tertullianus, in apol. cap. ult. ait: « Plures effeimus quoties metimur a vobis: semen est sanguis Christianorum. » Et S. Leo, serm. I. de SS. Petro et Paulo: « Non minuitur persecutionibus Ecclesia, sed augetur, et semper dominicus ager segete ditior vestitur, dum grana quæ singula cadunt, multiplicata resurgunt. » Similiter S. Chrysostomus, serm. in Juveninum et Maximum martyres: « Sicut, inquit, plantæ rigatæ magis crescunt; ita et fides nostra oppugnata magis floret, neque horti aquis irrigati ita germinant, uti Ecclesiæ, si martyrum sanguine irrigentur. » Et Sanctus Justinus, in dia-

logo cum Tryphone : « Ut vineæ putatione, inquit, ad ubertatem provocantur; ita Ecclesia persecutionibus crescit. » Et hæc est vitis illa, cuius palmites purgati et putati fructum plus attulerunt. Hæc arca illa Noe, quæ quo magis inundabant aquæ, tanto magis exaltabatur et securius ferebatur. Ventus persecutionis propulit hanc navim uti in prima persecutione apostolorum, Act. XXVI. cum ejus occasione omnes Christiani præter apostolos dispersi sunt in varias terras ad fidem propagandam.

Ad hæc regna gentilium armis fere, imo et latrociniis ac cædibus parta fuere. Uti regnum Nabuchodonosoris, qui idcirco vocatur Iatro, Jer. XVIII. et regnum Alexandri Magni cui piratæ ab eo capti et interrogati, qui essent, responderunt : *Tales sumus, quales tu, sed tu magnus es prædo, nos parvi prædones sumus.* Similiter regnum Mahometis, qui ut id promoveret, gladio jussit occidi omnes nolentes amplecti hoc ejus symbolum : Alla illa alla, Mehamed rassul Alla, id est, non est Deus nisi Deus, et Mahomet apostolus ejus. Refert Corn. in ep. ad Hebr. c. VII. Non indiget etiam exercitiis seu legionibus ad sui conservationem, quomodo Romanum imperium suas habere debuit legiones, in Syria, Africa, Gallia, Germania.

Secundo, quia in tantam proceritatem brevi tempore crevit, uti granum sinapis in arborem una æstate. Tertullianus, qui vixit circa annum Domini 200. in apol. cap. XXXVII. scribit : « Hesterni sumus et vestra omnia implevimus : urbes, insulas, castella, municipia, conciliabula, castra ipsa, tribus, decurias, palatium, senatum, forum. » Et infra : « Si in aliquem remotissimum orbis angulum nos a vobis abrupissemus, procul dubio expavissetis ad solitudinem; quasi mortuæ urbis reliquias quæsivissetis, quibus imperaretis. » Sanctus Irenæus, qui vixit circa annum Domini 167. temporibus apostolorum vicinissimus, l. I. contra hæreses ita scribit : « Hanc prædicationem et hanc fidem cum accepit Ecclesia et quidem in universum orbem disseminata diligenter custodit, quasi unam domum inhabitans, et similiter credit, quasi unam animam habens et unum cor, et constanter prædicat, docet et tradit quasi unum possidens os : neque hæ quæ in Germania fundatæ sunt Ecclesiæ, aliter credunt, neque hæ quæ in Iberis, neque hæ quæ in Celtis, neque hæ quæ in oriente, neque hæ quæ in occidente, neque hæ quæ in Ægypto, neque hæ quæ in Lybia, neque hæ quæ in medio mundi sunt constitutæ. Sed sicut sol omni creaturæ Dei universo mundo unus et idem est, sic et lumen et prædicatio veritatis ubique lu-

cet et illuminat omnes homines, etc. » Beinde, Plinius secundus, qui circa annum Domini centesimum sub Trajano Asiæ præconsulem egit, scribit in epistola XCXVII. Christianos in tantum multiplicatos, ut non urbes solum, sed etiam vilæ et vici Christianorum pleni essent, imo delubra deorum desererentur. Quid quod ipsis apostolorum temporibus jam pene in toto orbe evangelium coruscabat? Sic enim apostolus ad Coloss. I. quam epistolam scripsit 26. anno post ascensionem Domini, ait, evangelium prædicatum esse in universa creatura quæ sub cælo est. Et in epistola ad Romanos, cap. X. quam scripsit vigesimo quarto anno post ascensionem Domini, ait, annuntiatum esse evangelium per totum mundum. Quibus viginti quatuor annis si demantur decem illi, quibus apostoli in Judæa fuerunt ante divisionem suam, sequitur annuntiationem illam intra quatuordecim annos factam esse. Deinde, post tempora persecutionum sub Constantino Magno crevit subito in immensum, et tunc undique ex variis orbis partibus advolarunt aves, id est, principes et reges, ut in ramis hujus arboris conquiescerent. Quorum prodromus et typus videtur fuisse Zacchæus in sycomoro, id est, in fatua (crucis) arbore, (hoc enim sonat sycomoros) conspicuus, Luc. XIX.

Tertio, quia a tenuissimo initio incepit, videlicet a contemptu, paupertate, doloribus, persecutionibus, etc. et ad summum honorum apicem ascendit in vita demum altera. Regna mundi a gloria et majestate fluxa oriuntur et tandem desinunt in cinerem, fumum, oblivionem et exterminium sempiternum. Ubi nunc regna illa Nabuchodonosoris, Cyri, Alexandri, Salomonis? Ubi reges ipsi? *Exterminati sunt, et ad inferos descenderunt,* Baruc. III. sed regnum Christi ab humilitate temporanea incipit, et in gloriam æternam desinit, uti testatus est coram Pilato Dominus : *Regnum meum non est de hoc mundo!* et angelus cum dixit : *Sedebit super solium David.* Ut enim David, postquam in regem unctus fuit, multis adhuc laboribus, curis, periculis, fugis regnum sibi comparare debuit; ita etiam Christus a sua conceptione unctus fuit in regem, sed per labores et passionem intravit in gloriam suam. Eadem est ratio de omnibus fidelibus, qui in Christi regno militant. Et hoc granum sinapis est, quod a minimo incipit et desinit in maximum.

V. Follis et floribus, id est, legibus sanctissimis, quæ omnem sanctimoniam, innocentiam, castitatem et perfectionem præscribunt, et quod præcipuum est, veri Dei cultum. Cæterorum regnorum leges solum pertinent ad reipublicæ conservationem, augmentum, pacem et terrenam prosperita-

tem procurandam. Multa etiam absurda et quædam iniquissima olim continebant, ut alibi ostendimus. At vero leges Christianorum Dei cultum imprimis urgent, et peccata omnia quasi pestem evitare jubent. Dei et proximi amorem inculcant, injustitiam omnem cavent, turpitudines aversantur, injurias omnes vident; nec ligant tantum manus, sed linguam quoque et cor, prohibentes tam internos quam externos actus malos. Denique, ultra præceptum proponunt etiam sequenda celestia ad omnimodam sanctitatem consequendam, de quibus aliæ nihil unquam meminerunt.

VI. Fructu, primo, quia suos facit sibi subditos et sponte obedientes, ita ut omnia cum delectatione faciant. Hoc est quod prædictum est Psal. LXXI. *Descendet sicut pluvia in vellus, et sicut stillicidia stillantia super terram.* Reges alii per terrorem fere suos ad officium compellunt : *Oderint, dum metuant;* sed Christus per amorem animos movet ad obsequium suum.

Secundo, quia liberat eos a dæmonis et peccati jugo, ne non ab inferno, atque ita facit vere liberos.

Tertio, quia facit eos Dei filios, cæli hæredes et reges. Reges primo, in hoc sæculo; quomodo enim rex non est, qui suis cupiditatibus et passionibus per Dei gratiam imperat? Deinde, in altero sæculo. Attollit enim hæc arbor cacumen et cultores suos usque ad cælum : regna terrena diriguntur non tam ad subditorum, quam ad regis solius utilitatem. Hoc enim primo, quærent reges ut bene sibi sit et posteris suis, regna sua conservent et amplificent ipsique majores fiant; non ut subditos extollant, multo minus ut eos regni sui participes efficiant. Sane reges, quando bello acquirunt aliorum territoria, sibi ea retinent, militi vulnera relinquunt et vix stipendia solvunt. At vero regnum Christi dirigitur ad utilitatem nostram, et ut nos cum Christo regnemus in cælo. Promisit Mahomet suis paradisum, sed ex voluptatibus tantum sibi et potus ac Veneris constantem. Ne vero concedere cogeretur, ex perpetuo illo luxu ingentes excrementorum humanorum acervos in cælo congerendos fore, dixit hæc excrementa per sudorem evaporanda, Lud. Granat. in cateches. l. II. cap. VIII. Quis hinc risum contineat? Non tam viles et belluinas delicias expectamus in regno nostro. *Regnum enim Dei non est esca et potus, sed longe sublimiores et angelicæ deliciæ.*

VII. Quia cultorem, Dominum et regem habet ipsum Christum Deum et Dominum omnium, qui primo, est sapientissimus et nullatenus potest decipi aut errare. Hanc et alias regis dotes pulchre expressit David in epithalamio regis nostri, Ps. XLIV. *Deducet te mirabiliter dextera tua,* q. d. tu non egres consiliariis, qui sunt velut manus tuæ ad gubernandum regnum tuum; sed tua ipsius dextera tibi sufficit ad hoc.

Secundo, benignissimus et mansuetissimus, pulcherrimus et humanissimus. Unde ib. dicitur *Speciosus forma præ filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis;* et rursus : *Myrrha et gutta, et casia a vestimentis tuis,* q. d. vestimenta tua suavissimum spirant odorem et delectant omnes.

Tertio, potentissimus et invictissimus. Unde ib. dicitur : *Sagittæ tuæ acutæ, populi sub te cadent.* Quarto, æquissimus : *Virga directionis, virga regni tui.*

Quinto, unde et idem semper. Unde ib. subditur : *Sedes tua Deus in sæculum sæculi.*

Quantum autem bonum est habere talem regem? Certe reges mundi quanto acceptiores sunt, tanto ægrius amittuntur cum moriuntur. Atqui rex noster *Christus heri et hodie ipse et in sæcula,* inquit apostolus, ad Hebr. XIII. Ipse nostra sapientia est quæ nos doceat; nostra justitia, quæ nos remuneret; nostra bonitas, quæ nos foveat; nostra potentia, quæ nos defendat. Beatos igitur nos auditores, qui in regno Christi sumus, et talem regem habemus. Gloriabantur Hebrei legislatorem se habere Moysen; sed quanto major Christus Moyse? Gloriabantur patrem se habere Abraham? Sed quanto major Christus Abraham? Gloriabantur de rege suo Salomone; sed ecce hic plusquam Salomon. Quare si regina Saba admirata Salomonis aulam, regnum et sapientiam, dicere potuit : *Beati servi tui qui stant coram te semper et audiunt sapientiam tuam,* III. Reg. X. quanto rectius id de nobis dicitur. Hac de causa Theodosius imp. et S. Ludovicus Galliæ rex magis sibi gratulabantur, quod essent Christiani, quam quod essent reges. Quia ergo et vos per Dei gratiam aviculæ hujus arboris estis, juxta apostoli monitum ad Coloss. I. *Digne ambulatis Deo per omnia placentes, etc. gratias agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis sanctæ in lumine, qui eripuit nos de potestate tenebrarum, et transtulit in regnum Filii dilectionis suæ.*

CONCIO IV.

QUIBUS MODIS AC MEDIIS FIDES PER ORBEM
PROPAGATA SIT.

I. Christianorum primorum virtute.—II. Prædicatione
efficaci. — III. Miraculis. — IV. Persecutionibus.
— V. Singulari Dei assistentia.

THEMA.

Simile est regnum caelorum grano sinapis.
Matth. XIII.

Quod fides christiana Christique evangelium
granum hoc sinapis sit juxta Christi prædictionem,
id jam non amplius credimus, sed oculis
videmus et manibus palpamus; quemadmodum
videlicet ex minimis initiis in immensam creverit
molem et per totum orbem ramos suos extendere-
rit. Id vero nunc quærent multi, qua ratione,
quibus mediis et adjunctis adeo creverit. Et
facilis responsio. Qua enim ratione provenit ex
agro multa et copiosa messis? Nonne si ager
ipse sit pinguis et idoneus, si semen sit sanum
et efficax, si pluviarum adsit crebra irrigatio, si
nix, gelu et ventus suo tempore accedant, ac
denique sol subinde affulgeat? Ad eundem modum
crevit fides et evangelium. Quod videtur
colligi posse ex parabola illa Marc. IV. proposita.
Ubi Dominus: *Sic est regnum Dei*, inquit, *quem-*
admodum si homo jaciatur sementem in terram et dor-
miat, et exurgat nocte et die et semen germinet et in-
creseat dum nescit ille. Ultra enim terra fructificat
primum herbam, deinde spicam, deinde plenum fru-
mentum in spica. Quæ nunc accuratius videbimus.

I. Per agri Domini bonitatem et pinguedinem,
id est, per Christianorum primorum bonitatem
et sanctitatem, quam cum aspiciabant gentiles,
vehementer inde movebantur ad amplectendam
fidem christianam tamquam ad sanctitatis
scholam et magistram, juxta id I. Pet. II. *Con-*
versationem vestram inter gentes habentes bonam:
ut in eo quod detrectant de vobis tamquam de
malefactoribus, ex bonis operibus vos considerantes
glorificent Deum: et S. Paulus ad Philipp. II. *Sitis*
sine querela et simplices filii Dei sine reprehensione
in medio nationis pravæ et perversæ inter quos
lucetis sicut luminaria in mundo: et II. Cor. II. *Christi*
bonus odor sumus Deo, in iis qui salvi sunt, et in
iis qui percunt. Et ex hoc odore unguenti repleta
est tota mundi domus: ut illa Simonis, ex effusione
unguenti, Joan. XII. Hic splendor, hic odor traxit
ad fidem innumeros gentiles. Viderunt enim illi
in Christianis morum innocentiam: ita ut Christiani
ab ipso eorum appolline justii pronuntiati sint
fuisseque sibi im-

pedimento ne vera ederet oracula: ut objicit illis
Constantinus Magnus, in edicto apud Euseb. in
vita, l. II. c. XLIX. et L. Fatetur etiam Plinius
secundus Bythinæ præfectus, in ep. ad Trajanum
imp. « Christianos stato die ante lucem convenire
carmenque Christo quasi Deo, dicere secum in-
vicem; seque sacramento non in scelus aliquod
obstringere, sed ne furta, latrocinia, ne adulteria
committerent, ne fidem fallerent, ne depositum
appellati abnegarent. » Sic Plinius. » Fuit forte sa-
cramenti illius obstrictio, quam meminit Tertull.
ad Scapul. scilicet: « Nemo nostrum sceleratus
aut nequam esto. » Qui et ait: « Depositum non
abnegamus, matrimonium nullius adulteramus,
pupillos pie tractemus, nulli malum pro malo
reddimus, etc. » S. Blandina in tormentis de cri-
minibus interrogata: *Christiana sum*, inquit, *nec*
mali quidpiam a nobis committitur.

Barbari item cum sub Gallieno imp. variis ir-
ruptionibus Romanum imperium vexarent et
inde Christianos secum abducerent, ob eorum
innocentiam, sanctitatem et mirabilia patrati-
onem in admirationem, amorem et imitationem
denique illorum perducti sunt, ut testatur So-
zom. l. II. c. XXVI. et Niceph. l. VIII. c. XXXIII.
Videbant et mirabantur in illis fidei constantiam
invictam, alacritatem ad patiendum, iniquam
eorum condemnationem; veluti cum duceretur
S. Andreas, clamabant enim ad Ægeam procon-
sulem: *Concede nobis hominem justum, redde*
nobis hominem sanctum, etc. innocens ejus sanguis
sine causa condemnatur. Videbant eorum sacra-
ritus, cultum Dei, et inde obstupescabant, quem-
admodum Afra Augustana cum videret in sua
domo Narcissum episcopum toto corpore, vultu
oculisque se ad orationem componentem, inso-
lita pietate stupefacta ad ejus pedes se abjecit,
vitam impuram abjuravit et fidem amplexa est.
Videbant deinde in illis admirandum mutua
charitatis vinculum, qualiter videlicet una cibum
capere in publico solerent: non delicatum et
splendidum, sed *promiscuum*, id est, facilem pa-
ratu et obvium, ut ait Plinius ad Trajan. qualiter
ditiores pauperum curam agerent et eos de
mensis suis sustentarent, se mutuo in templis et
in publico salutarent osculis, pro sustentatione
egenorum collectas facerent, intimos etiam car-
ceres intrepidi penetrarent sacerdotes ut incarce-
ratis confessoribus eucharistiam offerrent, (teste
Tertull. II. ad uxorem et divo Cypriano, de cura
pauperum et victorum) se mutuo ad marty-
rium fortiter subeaudum hortarentur, et qui
fortiores erant licet nondum victi, nutantes
strenue confirmarent, martyrum corpora ma-
ximo studio et contentione, summo suo periculo

raparent, eoque veluti sanctos honorifice tu-
mularent. Hæc animorum unio invictos illos
reddidit et victores ethnicorum, juxta id
Proverb. XVIII. *Frater qui adjuvatur a fratre*
quasi civitas firma. Dicebant enim de illis ethnici:
Vide ut se mutuo amant! Ut pro invicem mori pa-
rati sunt? Tertull. Videbant item maximam eo-
rum charitatem et benevolentiam, etiam erga
gentiles et inimicos suos, quam imperatorem
quantumvis paganum summopere venerarentur
eique omnia felicia precarentur, ut ex Tertull.
aliisque patet; quam pro persecutoribus etiam
suis orarent, et carnificibus suis libentissime
ignoscerent ac signa amoris exhiberent; quam
etiam erga gentiles præberent se hospitales et
munificos, apud Lucian. quantum legio Christia-
norum Aurelio imp. in rebus desperatissimis
victoriam mirabiliter impetravit, ut testatur Marcus
Aur. imp. ipse in ep. ad senatum; quam ipsos
gentiles partim a dæmonum obsessu liberarint,
ut Albercius Hierapolitanus episcopus Lucillam
filiam ejusdem Aurelii, ut in actis Albercii, apud
Metaphr. 22. octobris; quam eos sæpe ab in-
firmitatibus liberarint; quam eis famis tempore
victum suppeditarint et peste infectis (quos ipsi-
met gentiles fugiebant) libentissime ministrarint
sub Gallieno imperatore, anno 263, apud Baron.
Nobilis est historia illa quam de Pacomio legi-
mus, qui cum mereret sub Constantino Magno
etiamnum gentilis, et a vera fide alienus, Cæsa-
risque miles adeo rerum omnium inopia preme-
retur ut fame quam plurimi necarentur, venien-
tes alii ad quamdam civitatem repererunt eives
ad eorum calamitatem sublevandam profusis-
sime liberales. Miratus Pacomius, et quænam
hæc gens esset, quæ tam prolixè in militem ex-
ternum sua omnia effunderet, intellexissetque
esse Christianos, quorum institutum professio-
que propria esset aliorum necessitatibus pro vi-
ribus opitulari, sensit illico interius moveri sese,
et cor veluti numine tangi, quare nulla interpo-
sita mora, elatis in cælum manibus, Deum tes-
tem invocat, velle se, relictis castris, Christiano-
rum religionem mox sequi, eorumque sacra
cupidissime amplecti. Satis nimirum ipsi erat ad
conversionem, et ad credendum eam solam ve-
ram fidem religionemque esse, quæ homines
tanta charitate conglutinaret. Ad hæc in vita S.
Agnethis habetur, quomodo ipsa præfecti filium,
qui se invaserat a morte suscitavit: in vita SS.
Joannis et Pauli, quomodo Terentiani præ-
fecti filium a dæmone liberarint: in vita SS. Lau-
rentii et Pergentini, quomodo obrigescentibus
carnificibus orando vigorem restituerint: in vita
S. Sabini quomodo Venustianum præsidem ocu-

lorum dolore percussum sanavit: in vita SS. Na-
zarii et Celsi, quomodo ipsi mergentibus se nau-
tis et postea periclitantibus subvenerint: in vita
S. Christianæ, quomodo ea carnificem suum a
serpentibus, qui in virginem immittebantur,
occisum ad vitam revocarit. Et alia sexcenta
apud Marulum, l. III. c. III. His ergo et simili-
bus amoris philtris longe efficacissimis conver-
terunt ss. martyres et primi Christiani tyrannos,
carnifices, populumque spectantem. Et hæc fuit
agri Domini in primævo illo flore bonitas et
pinguedo; quæ si adhuc in eo vigore esset, non
difficiliter converterentur, qui supersunt infideles
et hæretici. Sed dolendum, quod S. Hieronymus,
in vita Malchi scribit, Christi Ecclesiam scilicet
postquam ad Christianos principes venit, potentia
quidem et divitiis majorem, sed virtutibus
minorem factam esse. Nimirum ut recens ager
initio pinguis et fertilissimus est, postea
paulatim exhauritur: ita et ager Ecclesiæ.

II. Per seminis jacti, id est, prædicationis verbi
Dei efficaciam. Grano sinapis vis quædam ignea
inest, corpus inflammans ob acrimoniam: sic et
verbo Dei. *Numquid non verba mea sunt quasi ignis,*
dicit Dominus, et quasi malleus conterens petram?
Jere. XXIII. Igneam hanc vim experti tria millia
hominum illorum, qui in pentecoste ad unam
Petri concionem conversi et baptizati sunt: ex-
perti quinquaginta illi philosophi disputantes
cum S. Catharina, ejus demonstrationibus victi
et convicti ejurato idolorum cultu fidem mox
amplexi sunt et martyrio consignarunt, apud
Metaphr. experti illi dialectici gentiles, qui in
consensu episcoporum sophismatibus agentes
confusi sunt ab uno laico simplice ac sincero
dicente: Christum certe et apostolos artem dis-
serendi nequam nobis tradidisse, neque inane
fallacias, sed mentem apertam et simplicem
quæ fide et operibus integra servari solet. Hanc
enim ejus sententiam mox admirati approbarunt
et acquieverunt, Socr. l. I. cap. V. Sozom. et
Ruffin. expertus ille philosophus gentilis, qui in
præsentia Constantini M. Byzantii disputaturus
cum Christianis, cum dicere parans ab Alexan-
dro episc. Constantinopolitano non admodum
litterato, sed morum sanctitate præstante, in no-
mine Christi tacere jubebatur, mox velut elinguis
ne verbum quidem proloqui potuit, sed victum
se præbens, manum Alexandro præbuit et reli-
qui, sepositis altercationibus, volentes fidem am-
plexi sunt, Euseb. in vita Constant. expertus et
ille gentilis philosophus seu Eulogius secundum
Glycam, seu Phædon secundum alios, qui in
Concilio Nicæno fidem christianam pertinaciter
impugnabat, nec ullis acquiescebat rationibus.